



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

7. Hic Leo Romana Dedvctvs Ab Vrbe.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

script. hist. Franc. tom. II. Annal. Fuldens. apud Freher. *Ibi Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam, secundum morem gentis, abdicantes regi tradiderunt, si à die illa, & deinceps Christianitatem, & regi ac filijs fidelitatem abnegassent.*

7. HIC LEO ROMANA DEDUCTVS AB VRBE. An. 799. *Leo papa à Romanis in Letania maiore lingua truncata cruciatus, & per VVirundum Abbatem, & VVinigisum Ducem Spoletanum ereptus, ad Carolum in Saxonia ad Paderprunno deductus est.* Annal. Fuldens. apud Freher. Vita Caroli M. per Egoismens. tom. II. script. hist. Franc. Astronom. apud Reuberum. Poëta Anonym. Annales incerti auctoris apud Pithæum. Regino. Sigonius lib. 4. hist. de Regno Italiae.

8. SACRAVIT PRIMVM RELIGIONIS OPVS. Hujus rei testis est antiquus scriptor vitæ S. Liborij apud Bollandum c. II. pag. 88. §. 5. *Nam & vir sanctissimus & verè Apostolicus Papa sedis Romanae, Leo nomine, injusta civium odia perpeffus, illic eum (Carolus) adiit, pro sedandis contra se ortis simultatibus, imperialem opem quesiturus. A quo cum ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum ejus ac salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Apostolica auctoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc ibidem noviter constructa quoddam altare consecrans adorandas in eo reliquias Protomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit; fiducialiter id Principi promittens, quod oratorium illud, tanti Martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret injuriam, quam, ipso referente, prius ei contrigisse cognovit; ut videlicet ob incolarum loci perfidiam, & odium in religionem Christianam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maxime causam cas-*